7.

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ primâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. EDUARDO-FRANCISCO-MARIA BOSQUILLON, Equite, Doctore Medico, Præside.

An ventriculus sympathiæ centrum.

I.



YMPATHIA apud omnes usurpata vox, à plerisquè autem non benè intellecta sub multiplici respectu venit consideranda. Si agatur de mutuâ corporum admotione attractionem audit à Newtonianis tantoperè decantatam laudibusque benè meritis insignitam.

Si sermo fiat de propensionum illâ & affectionum convenientiâ, vividâ animorum intelligentiâ quæ rapiditate inexplicabili spargitur, communicatur, recipitur, temperamenti indolis, dotium naturæ manu insculptarum conformitate, quâ duæ mentes unitæ sese invicem quærunt, sibi mutuo adhærent, sibique quasi immiscentur sympathia nomen amoris sibi vindicat in diverso sexu, in eodem amicitia nuncupatur.

Hodiernæ autem quæstionis objectum non constituit dulcis hæc & rarissima communicatio sed ea quæ grati & ingrati varias inter corporis partes catenam efformat; ita enim à supremo opifice fabricata fuit animata moles ut quandiù sanitate vigeat omnes sibi invicem amicâ societate famulentur partes, cum autem morbo laboret, sibi mutuò compatiantur; unde duplex ab authoribus distinguenda venit sympathia, actionum nempè sæpissimè reperiunda, & passionum unicuique practico singulis diebus multoties occurenda, unde morborum divisio in idiopathicos & sympathicos, quæ etiam ad symptomata extenditur. Mutui consensûs existentia confirmatur ab Hippocrate cunctis in operibus, præsertim cum dicit confluxio una, conspiratio, una, consentientia omnia. [a] Divo seni assentiri gloriantur Galenus, Celsus Martianus, Helmontius recènsque medicorum chorus frequentissimâ experientiâ innixus. Sat parvus in aliquâ parte dolor febrim accendit pertotum corporis habitum sæviendam, dolens contremiscit animalis natura, quando pars ulcerosa duritius tractatur seu vulneri acris materies instillatur. Quis nescit quantas strages edat paronichia nec non harum partium læsio ubi strictiores membranæ sicuti nosmetipsi paucis abhinc hebdomadibus tristissime fuimus experti.

[a] De alimentis sect. IV.

Reciproco partium omnium consensu probato quædam organa ea proprietate in gradu excelsiori potiuntur; unde triumviratus ille antiquorum cujus primam agebat personam caput, cor secundam, tertiam ventriculus, centrorum nomine illustrat ea recens physiologia.

Nos autem ventriculi jura accedimus stabilienda eò generosiùs quòd unicum habendum esse centrum palàm profiteamur, si quidem nullum aliud viscus cum cæteris corporis partibus mutuâ magis & exquisitiori sympathiâ polleat.

hoc à nobis demonſtrandum fore confidimus, ſi experientiam teſtem advocemus priusque enarratis generalibus ſympathiæ cauſis eas eminentius in primario digeſtionis organo reperiundas exponamus.

I I.

SEQUENTES prælucente face anatomicâ admittuntur mutui partium concenſus cauſæ, nervi ſcilicet, textus cellularis vaſorum ſanguiferorum communicatio, humorum analogia, officiique paritas.

Nervi 1°. partes teretes, ſub albicantes arteriarum inſtar è trunco communi non progrediuntur, ſed faſciculis inter ſe unitis arctiſſimè oriuntur partim à cerebro, partim à cerebello. Malè in vitales, voluntarios, ſpontaneos diviſi, ſenſibilitatis, undè voluptatis & doloris miniſtri, irritabilitatis jure quoſdam apud præſtantiores phyſiologos [a] immerito fruuntur. Conſtant è telâ celluloſâ, & piâ matre cùm dura meninx nervum duntaxat opticum veſtiat. [b] Hiſcè membranis involuta manet ſubſtantia pulpoſa, coloris albidi, medullæ oblongatæ profectò ſeries [c] in quâ verè reſidet ſenſibilitas, undè nuda partes ubi acutior debet eſſe ſenſus circumtegit, ſic in apice digitorum, membranâ pituitariâ, retinâ. Liquoris nervoſi vinculum deſignatur à fautoribus ſpirituum animalium variæ juxtà quemlibet naturæ, undè non malè forſan rejectâ à quibuſdam eorum exiſtentiâ, admittuntur tantummodò eo quod non aptius videatur ſyſtema, quo varia æconomiæ animalis arcana referentur.

Sympathiæ cauſam ad nervos, tàm vigiles corporis animati ſatellites referendam eſſe probat ſenſibilitas in parte deſtructa ad quam tendebat nervus compreſſus vèl omninò ſectus, demonſtrant experimenta ſæpiſſimè in animalibus tentata, evincunt triſtiſſimâ, frequentiſſimâ tamen experientiâ illi homines quorum haud prorſùs ſecantur nervi.

Undiquè diſpergitur ſenſibile ſyſtema, prò variâ autem parte majori minorivè numero, ultimos nervorum fines anaſtomoſibus inter ſe conjungi videntur innuere Williſius, Vieuſſenius, Winſlovius, celeberrimus hujus ſcholæ magiſter A Petit, quarum auxilio ſpiritûs animalis circulationem aſtruere nititur; quidquid ſit inter omnes mediatum vel immediatum adeſt commercium, tres verò præcipui majori gaudent unionum numero; undè ſympathicorum nomine eos illuſtrat facilè anatomiſtarum princeps Winſlovius, portio nempe dura ſeptimi paris quæ ſympathica minor, nervus paris 8vi ſeu vagi qui major ſympathicus vel medius, nervus intercoſtalis qui maximus nuncupatur. Ultimus autem ille frequentiſſimè interſecatur nodulis gangliorum nomine inſignitis à quibus ſimpathiam repetunt plurimi.

2°. Textus cellularis ſub cute reperiundus, mucoſo duntaxat humore cujus laminæ ſibi applicantur juxtà celeberrimum anatomiſtam [d] conflatus, nutritius ipſemet ſuccus fibras nerveas, animalis primordia ab eodem habitas [e] illiniens, pinguedinis, variorum morborum ſedes [f] & humoris tranſpiratorii quaſi atmotſphera cellulis conſtat ſtrictis variè prò variis muneribus adimplendis; quam ob rem laxus in vultu, undè formoſitas in mammis undè ſurgunt ſpheræ illæ amabiles, verſus lumbos, undè delicatior corporis tractus, verſùs axillas, undè facilior brachii motus. Strictus, etiam à naturâ in pedum manuumque volis, in piâ menynge, nè gravato adipoſâ mole cerebro, rueret integer functionum animalium ordo. Omnes inter ſe communicant cellulæ ſivè in interiori, ſivè in exteriori, quin imò ab hoc ad illud deprehendere eſt commercium mediante fibrâ muſculari inſtitutum, ſed rectius per magnos hoſce hiatus ubi nullo modo perforatur membrana cellularis, ſed tantùm modo duplicatur, undè pia mater, membrana Sceneideriana, pleura cunctas pectoris partes involvens, peritonæum ipſummet viſcerum abdominalium *parenchyma* efformans; pectus & caput eum ab extremitate ſuperiori videntur mutuari, abdomen verò ab inferiori. Junctionis medium cenſemus eſſe diaphragma, undè non

[a] Grard de Villars in Theſi an ut ſenſibilitas, ſic irritabilitas à nervis 1756. De Bordeu paſſim in operibus Wit, Eſſais ſur les Maladies vaporenſes.

[b] Haller elementa Phyſiologiæ, tom. 3.

[c] Idem. loco ſuprà citato.

[d] De Bordeu tiſſu Muqueux.

[e] Cui quidem opinioni non aſſentimur cùm Hallero.

[f] Vid. Theſim, an in textu celluloſo frequentiùs morbi & morborum mutationes Authore Francisco Thierri 1749.

malè systematis cellulosi centrum habetur. Jàm verò quid nunc dubii super esse potest quin textus cellularis inter sympathiæ causas sit recensendus; probant emphysema, leucophlegmatia, leucophlegmatiæ succedens hydrops, hoc in morbo conferentes admodum scarificationes [g] nec non in eo perficiendæ morborum mutationes [h].

At quædam illius partes inter se magis consentiunt. Ea est ventris gemini superioris, & superiorum extremitatum ratio. Vergit humor per totum divisionis hujus tractum maximè per os, nares, glandulas axillares, & parotidem, undè per hæc effluvia tàm sæpè molitur crisim natura in morbis has partes afficientibus undè tàm prospero successu propinantur emetica in pleuresi, anginâ, soporosis quibusdam affectibus etiàm in cerebro fomitem habentibus, nec non ptarmica & salivantia. Sic se habent omnes fere ventris infimi partes tùm inter se, tùm relativè ad artus inferiores, undè in numerosâ quidem abdominis morborum cohorte, tàm sæpè conferunt purgantia. Hâc-ce divisione semèl in medium prolatâ patet veritas aphorismi hippocratici [i] *in morbis pectoris purgatio per superiora, in abdominis autem per inferiora, in splenicis & hepaticis per neutrum ventrem*, eo quod ventriculus splen premens, pressus ipsemet ab hepate cùm omni systemate celluloso co[mm]unicet. Et etiam propter divisionem ab eodem textu cellulari juxtà longitudinem corporis efformatam major videtur adesse consensus inter ejusdem lateris partes, sic pulmone sinistro suppuratione correpto rubet sinistra faciei pars, sic hepate ægroto laborant extremitates lateris dextri, & frequentissimè ædematiâ afficiuntur.

3°. Vasa sanguifera duplicem conum efformantia cujus apex cordi inseritur, in arteriosa venosaque dividuntur; referunt arbores truncis ramis nec non capillamentis quæ sese mutuò accipiunt immediatumque stabiliunt commercium.

Circulatorio sanguinis motui destinantur, ut optimè demonstratum habemus ab Harveo, in magnis verò truncis venit duntaxat deprehendendus, in minimis enim adest motus oscillatorius quo it reditque sanguis.

Si autem purpureus latex in aliquo vase reperit obices, ubi minor sese offert resistentia eo præcipiti ruit flumine, hoc fundamento revulsionis, derivationisquè leges liberius profectò in theoriæ campis exspatiatæ innituntur, undè sub hoc respectu à vasis sanguiferis repetenda venit sympathia, undè obstructo splene seu rene major ad venerem proclivitas, undè hepatis infarctus sequuntur hæmorrhoïdes, undè hinc & illinc fertur sanguis suppresso fluxu menstruo, undè ut redeat optatum tantoperè istud malum ligantur crurales arteriæ.

4°. Humor est quælibet sanguinis pars ab eo separata ità ut lege ferè inviolabili munus illud adimpleat idem organum. Hujus separationis mechanismus secretio nuncupatur, & absolvitur plurimo mediorum concursu, majori minorive glandularum, organi nempè secretorii, à corde distantiâ, longiori breviori ampliorum seu tenuiorum vasorum tractu, variâ partium circumjacentium naturâ diversâ glandularum sensibilitate, undè humores iidem in iisdem organis secernuntur, undè huc redit officii paritas. Nihil ergò mirum quartam ex hinc & quintam elucescere sympathiæ causam; hoc autem confirmat experientia. Suppressâ perspiratione sanctorianâ fit diarrhæa, catharrus, abundantior narium mucus, copiosior urinosus latex, auctâ sic eâdem contraria sese præbent phænomena [k]. En sympathiæ generales causæ quarum concursus in ventriculo nobis remanet demonstrandus, nè autem risûs quem justè adeo dè se moverunt antiquissimi illi naturalistæ dè dentis aurei mechanismo acriter disputantes inter se, fiamus participes, stomachi sympathiam cùm omnibus aliis corporis partibus duce experientiâ ostendere operæ prætium esse duximus.

[g] Vide Thesim, an Leucophlegmatiæ leves scarificationes Authore col de Villars 1741.

[h] Vide Thesim D. Thyerri jàm citatam.

[i] Aphorism. 18. sect. IV.

[k] Vide Thesim an sudori & perspirationi cæteræ excretiones vicariæ Authore celeberrimo Bouvart 1739.

III.

TANTA in universalis ventriculi sympathiæ demonstrationem militat argumentorum ex ipsiusmet experientiæ armamentario depromptorum copia ut non in inveniendis, sed in eligendis sit labor. Nè autem observationum numero complicationequè obrutus sermo impenetrabili obscuritatis velo obtegatur, considerandam nobis eam suscipimus in statu sano, morboso, relativèquè ad remediorum effectus. 1°. Famis peculiaris quidem ventriculi sensationis tempore, hujus-ce visceris titillat calor, pondus ingratum regionem epigastricam premit, difficilis anhelat respiratio, undè frequentissima oscitatio, pallor in ore sedet, vacillat caput, convulsionibus torquentur artus alternâ vice syncopem excipientibus, ruit omnis functio, sumpto vix alimento fugit tristis hæc symptomatum cohors, lætitia involuntario mœrori succedit, ubiquè redit alacritas; D. Dhuaume saluberrimæ Facult. Med. Par. Doctor celeberrimus novit juvenem sexdecim annos natum qui quotiès horis matutinis panem suum edere omittebat, circà meridiem vertigine tenebricosâ & animi deliquio corripiebatur, vix jàm deglutierat offam cùm omnia evanescebant symptomata [a].

[a] Vide Thesim an à nervis præcipui partium consensus 1758.

Digestione inchoatâ adest capitis gravitas, ad somnum, naturalem dicam, trahit nos propensio, inflammantur oculi, hebes fit auditus, rubet facies, stringitur pectoris compages; vibrant frequentius, altiusquè arteriæ, mutuâ caloris & frigoris corpus occupatur vicissitudine, contrahuntur cutis orificia, tunc aliquandò in hypocondriacis, icteri irregulares prodeunt, videntur melancholici trementes hoc tempore & quorum manus & crura stupore detinentur. Integrum quibusdam corpus convellitur; nonnullos leves epilepsiæ manent insultus; extitit vir cujus herpes crura occupans digestionis momento collabebatur & albescebat breviquè sæviebat acrius. Quis nescit dolorem adauctum in parte vulneratâ epotato vix liquore spirituoso tenuissimo tamen gutture, nec non scorbuto affectos artubus tunc divexari.

Ex his concludere est digestionem esse conamen in quo quidquid ipsi inest virium impendit natura, ut assumpta suo submittat imperio. [b] Undè claudicat in vulnerato, donèc evadat perfecta cicatrix, in artu quodam destitutis, paralyticis quorum ventriculus tonicis identidem excitandus.

[b] Vide Thesim àn omnes organicæ corporis partes digestioni opitulentur, è quâ plurima deprompsisse nos lubentèr hic fatemur.

Undenam nisi à generali visceris illius consensu fames oculo seu imaginationi sese offerente cibo qui multopere arridet? undènam nauseæ, vomitûs, non nunquam excitatio consequentèr ad spectaculum immane, rem horridam aut fastidiosam ferientia oculos vel quæ sibi effingit malè pia mens?

Hìc videtur esse sensationum sedes, terrore quatiuntur præcordia, stringit ventriculum mæror, relaxat metus, in lætitiâ, jucunda & inexplicabilis mulcet eum titillatio, quid in dulci amoris servitute, & in mediis æstuantis ingenii sentiat ignibus explicet quis voluerit.

2°. Ventriculi sympathiæ cùm omnibus corporis partibus tùm sub intuitu generali habitis, tùm relativè ad singulas, exempla nunc præbeamus. Nemo nescit quantas pèr integrum æconomiæ animalis systema strages edant venena; tristibus horum Victimis obrunntur Medicinæ Annales præsertìm apud Wepferum in Doctissimâ suâ dè cicutâ aquaticâ dissertatione è quâ sequens eruitur observatio. Sat numerosa infantum utriusque sexûs turba venenatæ hujus plantæ radicis frusta comederat, vix unus ex iis, sensibilioris profectò temperamenti deglutiit, cùm jam prostratus humi sese mortuum resonantibus hinc & indè planctibus, certissimâ doloris expressione interceptâ, veriquè nimium prænuntiâ voce clamitat; stridor dentes conquatit, fit urinæ mictio convulsiva, spuma viridis erumpit ex ore arctissimè sàt temporis clauso remanente, cuncti distorquentur artus, pulsant tenera quidem præcordia, tandèm agitatis undequâque oculorum orbibus, phænomeno delirii

fempèr comite, innocentem exhalat animam, idem fèd mitiori modo fefe præbet fymptomatum agmen in fociis qui vomitu felicitèr excitato è gelidis mortis amplexibus fuerunt erepti. Tàm numerofæ, horrendæquè cladis centrum effe ventriculum oftendit, ceffatio à vomitu; evincit primarius præcordiorum dolor, & pulfatio, demonftrat in aperto cadavere cicutæ radix nondùm diffoluta, confirmant experimenta fæpiffimè in animalibus repetita; meminit Hildanus, [c] mulieris quæ deglutitâ aciculâ tàm horrendum aftantibus offerebat fpectaculum ut dæmone obfeffa haberetur. Fugavit autèm dæmonem propinatis emulfionibus cremore panis & orizæ, & evanuit malorum ilias. Quis ignorat clinicus quot mala bilis afferat in præcipuo digeftionis organo putrefcens, fèu putrida quæcumque alia materies, tunc animi fit deliquium, capitis vacillatio, triftitia vultui hæret infixa, naufea fatigat cùm infuperabili alimentorum faftidio, fitim inextinguibilem fufcitat natura fuæ fempèr confervationi invigilans, ventriculum nefcio quæ torquet anxietas, artus omnes torpor occupat languensquè corpus non bene fuftentant pedes tremulenti, fpiritualis quafi abforbetur fubftantia. Nonnè fingulo die unicuique practico fefe offert integra corporis moles à fanitatis folio difturbata in plerifque infantum morbis, quorum origo vèl eft lac coagulatione acidum caracterem fibi vindicans, vifcidave fubftantia frequentior vermium nidus in ventriculo ftabulans. In eo hærere plerorumque morborum fomitem inficias iturus nemo. Hìc fedem habent numerofa febrium intermittentium turba, febris putrida, variolæ, affectio hypocondriaca. [d]

[c] Obfervatio 34 lib. P.

[d] Vide Thefim àn ut acutorum fomes fic chronicorum officina ventriculus Authore D. Mauduyt de la Varenne, celeb. hujus Scholæ Magiftro 1758.

Ventriculi fympathiam cum capite demonftrant deliria, vertigo, affectus foporofi tefte praxi oculatiffimâ ut jam diximus ab illo vifcere oriunda, unde dixit Helmontius in præcordiis habitare fagittatorem delirii & amentiarum, oftendunt capite læfo, fracto, contufo, naufeæ, & vomitus. Cùm oculis, varia eorumdem agitatio, quando affumptum fuit venenum, & à practicis obfervata pupillæ dilatatio in infantibus quos vermes excruciant, cùm auribus, variorum vocis inftrumentivè modulaminum factus ipfe particeps, dulcique harmoniâ fedata famis intenfitas, cùm facie pallor ei infidens ftomacho materie indigeftâ, fèu vermibus obfeffo, cùm naribus, vomitus ab ingrato odore concitatus, & titillatio quâ injucundè omnino pituitaria afficitur membrana vermibus in regione epigaftricâ reptantibus, cùm linguâ, aphonia ventriculo aliquo humore læfo, necnon variarum illius affectionum index à practicis reddita, cùm labiis, eorum tremor urgente vomitu: cùm faucibus, ftomachi fubverfio titillatâ quâ obveftiuntur membranâ: cùm parotide, & amycdalis earum tenfio fame ventriculum follicitante: cùm pulmonibus, afthma, rheuma, tuffis præfertim infantum clangofa, difficilis refpiratio, vacuo, pleno, digerente ventriculo, anguftior pectoris curvatura in affectione hypocondriacâ, cujus fedem in regione epigaftricâ collocat Hoffmannus [e] in phtifi vomitus fupervenientes, cùm corde animi deliquium materie putridâ circà præcordia hærente, pulfus intermittens diarrheæ criticæ index, cùm diaphragmate fingultus, nimis repleto, à nimiâ temporis diftantiâ vacuo, acrivè fubftantiâ corrofo digeftionis organo, cùm hepate inflammationes fibi invicèm communicatæ, vomitus calculo veficam felleam obfidente, icteri, digeftionis tempore, nonnunquàm ut jam dictum fuit, prodeuntes; cùm fplene major minorve illius moles pro vario ventriculi ftatu, cùm inteftinis vomitus enormis in bubonocele, idem definens incipiente diarrhæâ fuppreffamquè excipiens, cùm rènibus in nephritide & calculo, affidua vomituritio, undè etiàm cùm veficâ demonftratur ventriculi confenfus; ejufdem anxietas, depreffio, debilitas familiares iis qui nimioperè veneri indulfère fympathiam demonftrant cùm genitalibus, nècnon glandis vellicationes digeftionis momento quibufdam in melancholi-

[e] Med. rat. fyft. Tom. III. Chap. 5.

cis perceptæ, probat idem cùm utero vomitus fluxùs albi ferè sempèr assiduus comes, appetitûs prostratio urgente fluxu menstruo, suppressio pondus regioni epigastricæ incumbens, nausea & animi deliquium frequentissimè conceptionis indicia, viciniquè partûs prænuntia, undè quidquid delirat uterus, sentit sthomacus, undè Hippocrates dicit, nihil magis experimento compertum esse quàm laborante utero ventriculum nauseare àc everti, & cùm ventriculus dolet, nisi exiguus admodum dolor sit uterum etiàm paulo post dolere, evincit cùm cute rigor bilem evomiturientibus, gelidos latices epotantibus, frigus in digestione perceptum cujus causa àd chilum frigidiorem densioremquè refertur immerito, nondum enim inchoatur celeberrima illa functio, idem est illius atquè sanguinis calor, majoriquè gaudet fluxilitate, cùm artubus probant convulsiones sæpissimè jàm in medium prolatæ, vomitus iis quorum amputantur supervenientes, podagra fomitem habens in ventriculo juxtà Hoffmannum, etenim sub accessione percipitur dolor, æstus, inflatio regionis epigastricæ; vomitu viridescentis materiæ arthritidem annuam sanatam habemus à Van-Switenio [f] colici dolores, qui humidum frigidumve pavimentum nudo calcantes pede subitò occupant.

[f] Comm. in Boherr. Tom. IV. de podagrà.

3°. Universalem ventriculi sympathiam arguunt remediorum effectus; deliria, vertigines, affectus soporosos sæpissimè curant emetica, iisdem mediantibus fugantur tumor faciei, linguæ crassities, & sordes, anginæ etiàm inflammatoriæ, pleræquè tusses prætertim infantum clangosa [g] pleuritides ut pratticos docet experientia [h]. In morbis omnibus pestiferis conducunt. Deliquia animi, febres intermittentes, putridas, malignas, curat haud raro vomitus, qui sic determinatur; accidit tremor labii inferioris, rigor integrum corpus occupat, gravantur oculi, dolet caput, pallet facies totus homo convellitur. Quis nescit quantùm boni secum trahant absorbentia, vires suas in primam digestionis officinam exerentia, sic enim irrita perit acidorum actio, vibratile admodum systema excitans, undè frequentissimi epilepsiæ insultus vomitoriis tutius curandi; in syncope unicâ liquoris spirituosi guttulâ motus redditur, constat apud omnes quàm citò dolores in quâcumque corporis parte excitatos compescat opium, ipso vix ingresso dirissimis finis imponitur convulsionibus, desinit partium rigor, fitquè cutis laxitas, undè optimum habetur diaphoreticum, undè in variolis non nunquam narcotica; [i] quid dubii quominùs saccharata & emulsionata, tusses & nephritides curent sola in ventriculum actione. Sic assumpto astringente validissimo hæmorrhagiæ in locis quàm maximè remotis sistuntur, sic martialium ope tonus cunctis redditur partibus.

[g] Vide Thesim àn tussi infantum clangosæ emeticum Auth. D. Basseville 175 .

[h] Vide Bordeu tissu muqueux.

[i] Vide Thesim àn variolis nonnunquàm narcotica Authore D. celeberrimo Baron, iterum propugnatam 1772.

Experientiæ tam fortitèr in nostram opinionem militanti sociam adjungere Theoriam nunc opus est. Causas verò sympathiæ generales in precedente enuntiatas paragrapho in ventriculo conjungi demonstrandum, quod patebit delineatâ visceris illius structurâ.

IV.

VENTRICULUS in regione epigastricâ situs jecur inter incumbens & lienem pressum, undè versùs hypocondrium sinistrum magis vergens, refert sàt benè utrem lusorium, (gallice cornemuse) unde duplex in eo deprehendenda est curvatura, magna una, parva altera, quarum situs variat pro vario plenitudinis vacuitatis vè ventriculi tempore, dùm enim vacuus est, magna inferior est parva verò superior, dùm refertur alimentis parva posterior, anterior autem magna, duo sunt orificia quorum unum superius in sinistro latere cùm æsophago continuum vocatur cardia, alterum verò inferius in dextro latere à lumbaribus vertebris duobus digitis distans pylorus nuncupatur, cùmque duodeno communicatur, undè sic facilior alimentorum descensus. Tunicis efformatur quatuor, quarum externa à peritonæo oriunda cùm diaphragmate continua est, 2a. muscularis duplici instructa fibrarum serie quarum aliæ à cardiâ ad pylorum rectâ ferè pergunt viâ, aliæ annulorum totidèm instar eum cir-

cumdant paululùm tamen obliquæ, ſphincteremque versùs orificium inferius efformant cùm longitudinalibus unitæ. Tertia nervea nuncupatur àb his, àb illis aponevrotica, ſed eſt vera membrana cellularis ſtrictior, quarta denique villoſa dicitur proptèr levem ejus ſuperficiem in quâ nihilominùs ſeſe offerunt rugæ, nimiæ ventriculi extenſionis productum habendæ, ſtillat àb illâ humor gaſtricus dictus, ſalivæ, perſpirationis materiei, inteſtinali ſucco, maximè analogus, arteriarum venarumque numerosâ circumdatur cohorte, tunicam autem intèr externam & muſcularem reperitur nervorum maximæ tenuitatis agmen qui àb orificio ſuperiori ad inferius ſuprà parvam curvaturam pergunt latarum faſciarum ad inſtar, dùm alii vario inſiſtentes itineri, ad latera extremitates, magnamque curvaturam diſperguntur, hìnc & indè reticulares plexus efformaturi quorum filamenta uſque ad tunicas internas pervadùnt. Ducunt originem àb octava conjugatione quæ primario digeſtionis organo tota ferè ſacra eſt, quæquè juxtà utramque Æſophagi partem ſtomachicorum nervorum nomine ſuperiori quaſi orificio inhæret plexûs coronarii ſtomachici tunc nomen gerens, cujus ad efformationem amico concurrunt commercio nervi inter coſtales mediantibus filamentis è gangliis ſemilunaribus plexu hepatico præcipuèque ſplenico proficiſcentibus.

Proſpero nunc explicanda exitu in ſuperiori exarata paragrapho phœnomena. Explicat ventriculi ſympathiam cùm capite origo conjugationis octavæ, cùm oculis par ſextum & quintum cui nervus intercoſtalis inſeritur, cùm auribus ſæpiùs repetita quinti & ſeptimi communicatio, cum naribus ſecundus quinti paris ramus, cùm linguâ quintum & octavum par, cùm pulmonibus & corde plexus àb octavo pari emanantes, cum omnibus abdominis viſceribus plexus àb intercoſtali efformati, cùm artubus & cute communicatio ejuſdem intercoſtalis cùm ſpinalibus à quibus nervos mutùantur cutis & artus. [k]

[k] Vide Theſim D. d'Aumont, jam citatam.

Mediante textu cellulari explicantur in vulnerato tarda digeſtio, ventriculi morborum ſolutio pèr ſuperiora vèl pèr inferiora indifferens, tremor labii inferioris, rheumatici dolores coctionis alimentorum tempore adaucti, linguæ ſordes, & craſſities, titillatio à nutricibus percepta in loco ſtomachum intèr & mammas comprehenſo.

Vaſorum ſanguiferorum ope explicatur incipiente pleuritide, fames ferè canina, cùr tàm ſæpè ventriculo incumbat rheumatica podagricaque materies.

Humorum analogia efficit cùr diarrheæ vomitu curentur & viciſſim vomitum curent, curinæſtate languidior ciborum appetitus, vigeat autèm in hyeme, cùr cibi malè digerantur in alvi profluvio, urinævè incontinentiâ, cùr tandèm ſalivâ copioſiori flumine evacuatâ idem ſeſe præbeat phœnomenon.

Mediante officii paritate patet cùr eſurienti fluat uberior ſalivalis latex, cùr digerenti copiâ majori ſecernatur bilis, & in duodenum effundatur, cùr ſic ſe habeat lympha pancreatica & multoperè ſplenis volumen imminuatur. Quid plura? irritabilis maximè & ſenſibilis ventriculus, ſitu partes heterogeneas ferè ſemper recipit peſtiferique miaſmatis particulas ſalivâ immixti ſuo in ſinu comprehendit. Munere centrum eſt alimentorum quantitate, qualitate frequenter repugnantium undè in continuâ actione adversùs hunc intenditur ſenſibilitatis & irritabilitatis ſyſtema.

V.

QUANTA ex hujus-ce theſeos veritate in praxim redeat utilitas ſupervacaneum foret enarrare, proprio ſic pondere ruit claſſis illa medicamentorum jam nunc etiam exculta in quâ cuique morbo cuique viſceri, idonea collocantur; nemo non videt quanti ſit faciendus emeticorum & purgantium ordo; dominium tamen auctum non exiſtimet cæca empiriæ ſors. Non omnes à ventriculo morbi, in eo hærentes diversa ſæpè requirunt remedia; quin imò ejuſdem præſertim emetici indifferens minimè debet eſſe propinatio. Verumenim apud medicum ratio ſemper habenda morbi ſtatûs, temporis, naturæ versùs aliam partem criſim molientis; adhibendæ cautiones à plethorâ, inflammatione, pectore debili, graviditate, herniâ, &c.

Objicies forsàn ibi ſympathiæ centrum ubi thronus animæ qui in cerebro cerebellovè collocatur, variæ authorum circà divinæ illius auræ ſedem opiniones adhuc eam ignorari demonſtrant.

Iſtas, ſed in illis partibus latet nervorum origo, fatemur equidem, excepto tamen nervo intercoſtali qui omnium nunc anatomiſtarum conſenſu ramo quinti paris ophtalmico juxta petitum [a], ſeu rectiusnoſtræquè theſi accommodatius juxtà Metelium, [b] ramo ejuſdem paris pterigoideo, inſeritur & ſexto, at tamen meritiſſimo ſympathici maximi nomine inſignitur. Non autem à ſolo nervoſo ſyſtemate pendet mutuus partium conſenſus, ſed à plurimo mediorum concurſu quæ in ventriculo adeſſe probavimus. Quid plura? illa opinio præſtantiſſimis arriſit phyloſophis, ità ſentiebat Epicurus vigilantiſſimus naturæ ſcrutator, ſic peritiſſimus moralium inſtitutor, ità tam celebris magiſtri diſcipulus haud degener phyſicus ille poeta Lucretius ut patet verſu ſequenti,

[a] Mém. de l'Ac. des Sciences, Paris 1727.

[b] Mém. de l'Ac. de Berlin 1745.

Hic exultat enim pavor & metus, hæc loca circum
Lætitiæ mulcent.

Ità veritate poeſim quidem inconditam compenſante cecinit Serenus ſammonicus.

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, niti verâ ratione videntur,
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra
Et contrà ejudem infirmantur cuncta dolore.

Undè Helmontius thronum Archæi toties ab ipſo irritatum ſuppoſiti ſtabilivit in præcordiis, undè triumviratum in digeſtionis ſyſtemate Sylvius de Leboé collocavit. Hecquetus præſtantiſſimum hujus ſcholæ decus dicit [c] naturam ventriculi eſſe talem atquè ſocietatem cùm toto corpore, ut ſtomacho totum corpus annuat aut compatiatur, ea nunc videtur eſſe melioris notæ practicorum ſententia, cùm feliciſſimâ manu, ſæpè repetitus apud eos vigeat emeticorum uſus, [d] undè ſcriptorum authoritate, ratiocinio necnon experientiæ optimè conſonâ freti juvat nos concludere.

[c] De la Digeſtion, fol. 69.

[d] Huic ſyſtemati roboris conciliandi causâ ſilentio minimè præteribimus illius propugnationem ſuaſiſſe nobis D. Deſeſſartz celeberrimum hujus ſcholæ Magiſtrum, cujus humanioris erga nos benignitatis memoria, grato ſemper hærebit pectori infixa.

Ergò ventriculus ſympathiæ centrum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes COLOMBIER.	*M. Ludovicus-Henricus* BOURDELIN.	*M. Ludovicus-Maria* POUSSE, *Eques.*
M Joannes-Carolus DESESSARTZ.	*M. Ludovicus-Alexander* DE CÉZAN.	*M. Antonius* CASAMAJOR, *Cenſor Regius.*
M. Petrus-Maria VIEILLARD, *M. Petri Poiſſonnier, Lectoris & Profeſſoris Regii Vicarius & Succeſſor à rege deſignatus.*	*M. Joannes-Baptiſta* LANGLOIS.	*M. Raymundus* DE LA RIVIERE.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS DESBOIS-DE-ROCHEFORT, Eques Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author. A. R. S. H. 1772. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Uniniverſitatis & Facultatis Medicæ Typographi, 1772.